



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 15. Responsum ad querelas Oratoris Hispani.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV. nequidem illius monita audire fuerit dignatus, hinc nec ipse etiam ægre ferat, quod Rex Catholicus foederato suo auxilium suppeditet, cum Hispaniæ Regem minime lateret, Gallos occupata Neapoli haud contentos fore, eoque Florentinorum urbes, ac Sedis Apostolicæ ditiones jamjam armis suis occupassent, ac ultra mensam Papam captivum tenuissent, nec libertati asseruissent, nisi pacta omnino iniqua firmare compulsam.

## §. XV

*Responsum ad quærelas Oratoris Hispani.*

*Marian. ib.  
lib. 26.*

Querula hæc Fonseca oratio haud parum Galliarum Regi, suisque tum præsentibus stomachum movebat, cum illis res insolens videretur, quod fides publica tam subito ab Hispanis violaretur. Ergo iracundia commoti respondent, quod omnino decuisset, ut Reges Catholici mentem suam aperuissent, priusquam Gallorum exercitus Alpes transiisset, nec expectare debuissent extremum temporis spatium, in quo Galli jamjam expeditionis suæ fructum colligere inciperent. His addebant, aut Hispanos nimium tumidos, aut Gallos (eorum opinione) plurimum ignavos fore.

fi

si ad nudas Legati cujusdam minas Gallos victoriæ cursum inhibituos sperarent; Arragonenses equidem per Sedem Apostolicam in jure Neapolitani Regni firmatos, jam sexaginta & amplius annos sceptrum rotare; Andegavensem tamen familiam avito bis centum annorum jure frui, idque pluribus Pontificibus adeo firmum visum fuisse, ut nec ullus unquam illud in dubium vocasset: ad hæc subjungebant Galli, se occupatas urbes ad aliquod duntaxat tempus retenturos, eas convento tempore restituere velle: tandem, si Reges Catholici rupto foedere Gallis bellum nuntiaturi essent, suo damno edocendos fore, plurimum differre adversus Mauros, quam contra Gallos bellum gerere. Hoc responsum Fonsæca tantopere indignatus est, ut præsentem Rege initi foederis tabulas, quas manu tenebat, dilaceraret: jam Galli in eo erant, ut impotentiorum animi motum in Hispano Oratore plecterent, ipsis tamen visum est, ejusmodi minarum contemptum simulare; unde Fonsæca insalutato hospite Veltriis excessit, nec tamen idcirco Franciæ Rex victoriam arma sua ulterius protendere destitit.